

52 *Vita S. Franc. de Paula*

gis quod dicitur; *considerantes quod parum eis proficeret soboles concipere*. Hoc est, experti sunt primum, post aliquot annorum mutuam consuetudinem, se nihil amplius concipere, & ideo statuerunt ab irrito Matrimonii usu cessare.

Hæc ea de causa observare curavimus, ne ex verbis hisce quis deduceret, S. Patrem unigenitum Parentibus suis fuisse, & præter ipsum non aliam etiam concepisse prolem, quæ Soror ejus fuit, Brigitta nomine. Unde ad præfata verba Papebrochius etiam annotavit: *Quis dicet hinc demonstrari pios conjuges, post Francisci natiuitatem, ne tantillo quidem tempore perrexisse liberis agnendis operam dare, donec sibi altera proles nasceretur? Nunquid non satis vera hæc erunt, si post aliquot annorum consuetudinem mutuam, cum nihil amplius conciperetur, decreverint cessare ab irrito Matrimonii usu? Idque etiam voto firmaverint: Verùm de his luculentior erit exagitatio in Differ. 5. ubi inquiretur; An S. Franciscus de Paula unigenitus fuerit Parentum suorum filius?*

XII. PRÆFATUS ITEM JACOBUS PERCUTIEBAT SE) Sancti Viri Parentes debitis laudibus Scriptor noster exornat. Ut videatur autem quam veræ sint, & nequiquam fucata laudes istæ, de vitæ illorum probitate alia documenta exhibere constituimus. Testis quintus Processus Confessio super 4. dixit: *Qui Parentes in Paula erant habiti probi, & boni Christiani*. Testis sextus ejusdem Processus super 2. de Jacobo Patre inquit: *Kixit toto tempore vitæ suæ sub Fide, & Religione Christiana, in bona fama, & sancta vita, & pro tali fuit habitus*. Testis decimus super 2. de eodem Jacobo ait: *Et quod indutus semper erat habitu rudi, & grosso, absque camiscia, nunquam comedit carnes, sed solum cibum quadragesimalem*.